



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1765**

**VD18 90118243**

§.23. Joannes Parmensis exauthoratus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

Sæcul. XIII.

A. C. 1256.

Inde in cœnobium Ptolemaidis misit Minister Provincialis, nec unquam consensit, ut ex animi sententia te salutatum abirem; sed per hunc tabellarium ad te scribere iussus, obedientiam abjicere non audebam. Sic finitur relatio Fratris Guilielmi Rubruquisii. Dat simul aliquas Regi notitias status Turciæ, Græciæque ac Hungariæ: dicitque, si Papa ut Christianorum caput ad Tartaros tanquam Legatum mitteret quendam Episcopum, aliumve magnæ dignitatis virum, hunc multo æquioribus usurum auribus esse, quam simplices Religiosos.

## §. XXIII.

*Joannes Parmensis exauthoratus.*

A. C. 1256.

*Vading.*

1256. n. 2.

*Boll. to. 8.*

p. 63.

Festo Purificationis die 2. Febr. an. 1256. Fratres Minores Romæ in cœnobio, cui nomen *Ara cæli*, præsentè Papa Alexandro IV. generalia celebrabant comitia. Magnæ querelæ de Joanne Parmensi septimo Ordinis Ministro Generali jactabantur. Accusatus fuerat,  
 1. quod solum S. Francisci testamentum spectans, idque clarissimum, nec aliam declarationem opus esse perhibens reprehenderet illos, qui explicationes regulæ darent laudarentque declarationes per summos Pontifices aut Doctores factas.  
 2. Quod observari vellet hoc testamentum



tum tanquam eandem cum regula rem, Sæcul. XIII.  
 a S. Francisco post accepta stigmata di- A. C. 1256.  
 ctatam, ideoque maxima dignam reve-  
 rentia. 3. Quod velut prophetico spiri-  
 tu præditus diceret, Ordinem duas in  
 partes, eorum nempe, qui regulam fi-  
 deliter colerent, ac illorum, qui decla-  
 rationes & privilegia peterent, divisum  
 iri, venturamque demum esse congrega-  
 tionem pauperum, qui regulam examus-  
 sim sint secuturi. 4. & gravius, quod  
 non esset puræ fidei, opinionibus Abba-  
 tis Joachimi nimium tribueret, quin et-  
 iam hujus scripta contra Petrum Lom-  
 bardum tueretur. 5. denique, quod  
 duo ex ejus fociis Leonardus Gerardus-  
 que Abbatem Joachimum supra modum  
 efferrent ac defenderent.

Papa igitur animos exacerbatos, ac  
 præcipuos Ordinis viros contra Ministrum  
 Generalem ita conspirantes videns, ut ad  
 officium reduci requirent, comitia indi-  
 xit, & Joannem Parmensem prius mo-  
 nuit, ut officium abdicaret, nec conti-  
 nuari pateretur, etiamsi electores id vel-  
 lent. Quibus congregatis Joannes di-  
 gnitatem deposuit, suam alios regendi  
 imperitiam, molestias sibi allatas ætatem  
 jam provectam causatus. Multis recla-  
 mantibus perstitit in sententia, immuni-  
 tatem postulans, & ut ipsum denuo eli-  
 gere ne somniarent quidem. Interea,



Sæcul. XIII.  
A. C. 1255.

quid Papam inter ac Joannem actum esset, inscii ad hunc iterum sibi præficiendum obstinabant animos, donec Papa alium cooptari iussit. Tum Joannes rogatus, ut, quem hoc munere dignum censeret, ediceret, Fratrem Bonaventuram nominabat tunc Parisiis docentem, qui proin una omnium voce electus fuit. Finitis comitiis Papa præcepit, ut Fratres 12. Augusti officio duplici S. Claræ colerent, anno priore 19. Octobris in Cœlitum numero repositam. Vigesimo Februarii an. 1256. Papa orantibus quibusdam Joannis adversariis confirmavit explicationem regulæ ab Innocentio IV. datam, quod non tantum Joanni, verum etiam cunctis Fratribus observantiæ puræ studiosis displicuit.

Rayn. 1255.  
no. 20.  
Vading n. 9.  
Bullar.  
Alex. IV.  
Const. 3.

Vading.  
script. p. 323.

Joannis Parmensis adversarii etiam conabantur suppressere Gesta S. Francisci, quæ Thomas Celanius addiderat illis, quæ primum contexuerat, & quæ restant etiamnum, ac vulgo *Legenda* (seu vitæ descriptio) *antiqua* vocantur. Illud vero additamentum fecerat precantibus duobus ultimis Ministris Generalibus Crescentio ac Joanne Parmensi, eoque collegerat, quæ viderat ipse audieratque, ad regulam ex mente S. Francisci fideliter observandam spectantia. Iidem adversarii vitam hujus Sancti denuo describendam curarunt, ut postea videbimus.

§. XXIV.